

malium, quæ per hyemem aut jacuerant quasi mortua, aut semi-  
viva tantum incefferant, paulatim revivifcat & facies telluris  
amanior arrideat, Vere scilicet, quod vocamus, hyemis aspe-  
ritatem excipiente; quod (3) insequentibus Junii Julii & Au-  
gusti mensibus caloris incrementa majora, sæpe valde molesta,  
sentiamus, indeque exhausta humoribus terra passim dehifcat,  
aër frequentibus tonitruum fragoribus resonet, fulminum icti-  
bus haut rarò terricolis infestus ac terribilis; quam tertiam an-  
nuæ tempestatibus partem Æstatem appellamus: quod (4) defer-  
venti sensim æstati Autumnus succedat per Septembrem, Octobrem  
ac Novembrem menses, aëris & humoribus & frigoribus grada-  
tim iterum increfcentibus, & in hyemem novam indies magis in-  
clinantibus. Quandoquidem verò primo illi trimestri hyemali  
in cœlo quamproximè respondet incessus Solis per tria prima si-  
gna ascendentia, ♄, ♃ & ♀; alteri verno progressus ejusdem  
per ascendentia cætera, ♁, ♄, ♀; tertio sive ætivo, regressus  
ipsius per tria prima descendentia, ♁, ♀, ♄; ultimo autumnali  
lapsus ejusdem imus per proclinata maximè ♁, ♀, ♄; placuit in-  
de Astronomis nostris Europæis, certos fixosque magis quatuor  
istis anni temporibus præfinire terminos, hyememque ab ipso Solis  
ingressu in ♄ solstitiale signum auspiciari, veris initium primo gra-  
dui ♁, cum is Solem sublimiorem excipit, alligare, Æstatis prin-  
cipium cum summo Solstitio in ♄ principio connectere, Autu-  
mnum deniq; cum ipso alterius æquinoctii momento, quo ♁ li-  
mina ☉ attingit, inchoare; utcunque interim aëris tempesta-  
es hîc in terris se habeant: Unde factum, ut nonnulli, (&  
hos inter Varenius in Geogr. Gen. Lib. II. cap. XXVI.) inter tem-  
pestates anni cœlestes ac terrestres distinguerent; nobis equidem hac  
vice de posterioribus maximè sollicitis.

PHÆN. II. Hæc autem annuarum tempestatum circulatio non  
eodem modo se habet eodem tempore in omnibus ac singulis Zo-  
næ hujus temperatæ partibus, sed regulariter (1) Hyems clemen-  
tior est in partibus ejus australibus Zonæque torridæ viciniari-  
bus, asperior multò in remotioribus & in Boream magis inclinan-  
tibus; prout sanè meminimus, ante annos haut aded multos Hi-  
spanis pro miraculo fuisse, cum Madritum alluens fluvius Manza-  
nares glaciali quasi ponte junctus cerneretur; & anno superiore nix  
alta in agro Romano lapsa diuque hærens, ut insolitum quiddam  
& ru-